

812

2216. m. Iuri: 7.

Disputatio Iuridica,
DE SVCCES-
SIONIBVS, QVAE AB
INTESTATO DEFERVNTVR.
CVM ADIVNCTIS QVIBVS DAM
P A R E R G I S.

Quam
Divino aspirante numine
Sub Præsidio

N O B I L I S, C L A R I S S I M I
C O N S V L T I S S I M I Q V E V I R I D O M I N I
Sigismundi VVittum, I. V. D. & in celeberrima Academ-
mia Friburgensi Brisgoiae Imperialium Institu-
tionum Professoris Ordinarij.

Ad diem 28. Martij exercitij gratia, hora & loco
consuetis, defendere conabitur

P A V L V S K R I P P
à Brunnberg.

F R I B U R G I B R I S G O I A.

Typis Helmlinianis.
A N N O M D C V I I I .



REVERENDISSIMO
 ET SERENISSIMO PRINCIPI
 AC DOMINO, DOMINO MAXIMILIA-
 NO, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI
 Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carneolæ, & Wirten-
 bergæ: Magni Magistratus Teuthonici Ordinis in Prus-
 sia Administratori, eiusdémque per Germaniam, Gal-
 liam, & Italiam Magistro, Comiti Habsburgi &
 Tyrolis, &c. Domino suo cle-
 mentissimo,

VEMADMODVM, SERENISSIME AR-
chidux, Domine clemētissime, sege-
 tes, quæ luxuriantibus aristis, quis
 fructuum modus, quæve quantitas ex illis
 sperari haberi q̄ pos̄it, sedulum peritumq;
 agricolam instruunt: ita censem Philosō-
 phis sapientie gloria famaque celebres, ea vi
 atque natura virtutem pollere, ut à primis
 hominum annis, quām excelsum quāmque
 illustrem honoris gradum consensura sit,

haud obscuris rerum argumentis sese intenti patefaciat. Ea propter optimo cuique et verae laudis cupidissimo Adolescentis summa virium contentione pugnandum existimarentur, ne insita virtutum semina, atque in multiplicem producta florem, aut desidiosa vivendi ratione conculcentur, aut sceleribus è deterrimorū adolescentum sodalitio exhaustis, evellantur penitus, & exscindantur.

Porro inter ceteras vita hoc modo constituta rationes, hanc posteritati tradiderunt, quae in exercenda perpoliendaque indole occupata, variis diversarum materiarum conflictibus ac discussionibus absolvitur: quarum aliae Philosophicis è fontibus exhausta: aliae à saluberrimo Galeni thesauro profusa, aliae postremò, ceterisque præstantiores, è sacrarum legum visceribus exprompta, cum ad omnem vitam humanam partem exporrigantur, sectatores semper quā plurimos habuerunt.

Fit

Fit enim, ut animus maximarum scientiarum gloria, & cupiditate inflamatus iis se disciplinis addicat, quarum rerum obiectarum magnitudine & difficultate ceteris preferri manifeste cognoscit. Hinc evenisse suspicor, ut, cum optimus quisque in excolenda virtutis insita curam incumberet (qua in sustinendis rerum publicarum gubernaculismaxime perspicitur) florere passim Jurisprudentia, et tanquam certissima virtutis exercitanda ratio coepit observari.

Vt igitur (unde digressus eram) revertar, innata infusaque homini virtus, quam sapienter maximos clarissimorum scientiarum fructus ei portendere dixi, his, quos paulo ante commemoravi, modis, ad stabilem firmamque scientiam erudienda informandaque est.

Quares, Serenissime Archidux, efficit, ut postquam me vasto Legum Ocea-

no commisi, nihil ad obfirmandam indo-
lem praeclarious esse duxerim, quam qua-
iam ferè per quinquennium in laudatis-
fima Archiducali Academia Fribur-
gensi à colendissimis meis dominis Prece-
ptoribus huius & didici, publicis iterare
disceptationibus, nihilq; illorum prater-
mittere, quæ ad dispellendum ingenij sopo-
rem maxime pertinent.

Itaque has de Successionibus ab In-
testato conclusiones pro viribus ingenij
sustinendas proposui, spe honestissima re-
creatus, hunc animi conatum ab optimo
quoque & virtutis amantissimo collauda-
tum probatumque iri.

Nec enim fieri poterit, ut qui in infi-
mis conflictationum scholasticarum gra-
dibus pedem rectè non fixerit, ad supre-
mum eruditionis fastigium aliquando per-
tingat.

Cogitanti verò mihi de eo, cuius au-
thoritati & patrocinio hunc immaturum
disce-

disceptationis scholastica fætum committem, facile venit in mentem Reverendissima & Illustrissima Serenitas vestra, cui, ut eum consecrarem magnis gravissimisq; rationibus adductus sum.

Primum enim in Serenitatis vestra territorio natus, suavissimq; huic luci commissus sum; deinde ab eadem vestra Serenitate honorandus meus Parens largissimis affectus est beneficiis, quorum beneficiorum nominibus Reverendissima & Illustrissima Serenitati vestra adeò obstrictus devinctusque sum, ut quibus à causis declaranda subiectionis, promptissimaq; mentis officium exordiar, penitus ignorem. Conabor sanè, ut quo ad huius usura lucis perfruar, omnem ingratia animi suspicionem à me longè submoveam. Interim Reverendissimam & Illustrissimam Serenitatem vestram ut hoc ingenij conamen sereno vultu suscipiat, mēque in suorum clien-

6 EPISTOLA DEDICATORIA.

clientum gregem adsciscat & aggreget, de-
votissime precor.

DEVSTER.OPT. MAX. Reverendissi-
mam & Illusfrissimam Serenitatem Ve-
stram Ecclesia & Reipublicæ Christianæ
quam diutissimè florentem & incolumem
cōservet. Data Friburgi Brisgoia. 18. Mar-
tij Anno 1608.

Reverendissimæ & Illust. Serenitati Vestræ

devotissimus Cliens & Subditus

Paulus Kripp à Brunnberg
& Aichaim.

Dispu-

Disputatio Iuridica,

*De Hæreditatibus, quæ ab intestato
deferuntur.*

Thesis I.

HAEREDITAS (quæ est Successio in universum ius, quod defunctus tempore mortis habuit) duplice nobis iure defertur: vel ex testamento, quæ *Testamentaria*: vel ab intestato, quæ propriè *Legitima* dicitur. De hac posteriore nostra procedet Disputatio.

I. Hæreditas. 62. ff. de R. I. l. Nihil aliud. 24. ff. de V. S.

I I.

Defertur autem huiusmodi hæreditas, quando nullum testamentum factum est, aut quia testator noluit, vel non potuit, vel factum quidem est, solennitates autem iure præscriptæ omissæ sunt: vel conditum est, ruptum tamen agnatione posthumus, aut arrogatione: vel quia hæreditas adita non est: vel etiam quando filius querelam inofficiosi testamenti institutam obtinuit: vel denique quando per bonorum possessionem contra tabulas rescinditur.

Morte scilicet præventus, aut iure impeditus l. I. ff. de suis & legit. hæred. l. Si veritas. 23. C. de Fideicommiss. Ratio est,

DISPUTATIO IURIDICA

quia pars sunt non fieri, vel nō debito modo fieri. l. Quamvis. 8. §. Si convenerit ff. Ad S. C. Velleian. l. Nulla. 2 ff de Author. tutor. & toto tit. ff. de Iniusto, rupto §. Posterior. Inst. Quib. mod. testam. infirm. Ratio est, quia totius testam. fundamentum est hereditis institutio. l. Palam heredes. 21. ff. Quis testam. facere posse. & toto tit. ff. de inoff. test. §. Quos autem. Inst. de Bonor. possessionibus. Ludo vicus Molina de Iust. & iure Tom. 1. Disp 162.

I I I.

Cum immota natura ratio, quasi tacita lex liberis hereditatem addicat, parentesque ipsi, instigante & propellente natura, ad liberorum educationem intentur, non est quod à quoquam successionem istam à iure naturali seu gentium haussisse originem, ambigatur, quamvis quoad certas solennitates iure positivo eidem superadditas, recte etiam iuris civilis esse perhibetur.

L. Ea verò ff. Pro socio. Mins. hic. in principio. l. fin. ff de Bonis damnat. l. Nihil interest ff. de Bon. libertorum. Gomezius Tom. 1. cap. 1. n. 2.

I. V.

Quia verò circa intestatorum successionem maxima apud veteres Iureconsultos varietas fuit, ideo antiquis illis & religiosis illis iurib. multa ex parte omissionis, secundū ius novū quinque succedendi ab intestato gradus statuimus, videlicet descendentiū, ascendiū, collateralium, viri & uxoris, denique fisci. Quos modos ordinè perstringemus, præmissis tamen prius successionis definitione, eiusdemque divisionib.

Ratio est, quia leges posteriores, corrigunt priores. l. Non est novum 26 ff. de legibus. l. Constitutiones tempore 4 ff. de Constat. principum. Suc-

V.

Successio itaque nihil aliud est, quam subrogatio quædam alicuius personæ in locum & ius alterius, eaque tripliciter dividitur, videlicet in universalem & particularem, expressam & tacitam, ac denique in civilem & prætoriam.

VI.

Vniversalis successio est, quando in universum ius defuncti succeditur: unde universalem successorem dicimus eum, qui in universum ius, quod prior dominus habuit, succedit & subrogatur, & in oneribus personam eius sustinet, & repræsentat, obligaturque ad omnia ea, ad quæ prædecessor erat obligatus.

l. Fluminum. 24. § Adyicitur ff de Damno infect. & ratio est, quia hæres idem est, quod dominus. per l. Hæredem. s9. ff. de R. I. l. Viam veritatis. C. de locato & conducto.

VII.

Particularis seu singularis est, quæ nimirum in rem aliquam singularem fit. singularem appellamus, qui subrogatur alteri quodam respectu, quique in rei locum succedit, & hic ad pacta & conventiones sui antecessoris non obstringitur.

l. Emptorem. 9. C. de locato. Valent. Försterius de Success. ab intest. Questione, Quid & quotuplex sit successio. Div. i.

VIII.

Expressa successio est, quæ expressa voluntate nobis defertur, ac testamentaria dicitur. Tacita est, quæ ipsa lege, ex tacita & præsumpta voluntate defuncti obvenit, & legitima nuncupatur.

toto tit ff. & C. de Hæred. instituend. & de legitim. hæred. & Novell. 118. de Hæred. ab intestato venientibus. l. Con-

ficiuntur. 8. in princ. §. Sed ideo ff. de Iure Codicilli.

I X.

Civilis est, quæ iure civili, prætoria vero, quæ iure prætorio defertur. hæc bonorum possessio, illa hæreditas appellatur. Notandum tamen, hæreditatem à successione hoc modo differre, quod hæreditas sit in universum ius, quod defunctus in vivis habuit, non autem vice versa, omnis successio sit hæreditas. Successio namque singularis hæreditas non est.

l. Nihil aliud. 24. ff. de V.S. Ratio est, quia in hereditate tempus, quo quis vita functus est, consideratur.

X.

Cum omnia quæ nostra sunt, liberis nostris ex voto paremus, & filij vivo patre etiam domini quodammodo bonorum paternorum dicantur: dubium autem esse possit, qui liberorum nomine veniant: idcirco non incongruè duo scitu necessaria, ad subsequentium meliorem intelligentiam, præponi posse arbitramur.

l. In suis, 11. ff. de Liber. posth. hæred. instituendis. l. 1. §. 7. ff. Si quis omissa causa.

X I.

Primum est, liberorum generali appellatione non tantum comprehendere eos, qui ex nobis immediate, sed & eos, qui ex nobis mediate nati sunt: ut sunt nepotes, pronepotes, cæterique ex his descendentes, nulla sexus habita ratione.

l. Liberorum appellatione. 220. & l. Cognoscere. ff. de V.S. l. Fin. ff. de Pollicitationibus, ubi Divus Pius.

X I I.

Alterum est, sex esse liberorum species, naturales & legitimos simul: & naturales tantum, qui in tres rursus species

species subdividi possunt: in eos scilicet, qui per subsequens matrimonium, per rescriptum Principis, atque per oblationem curiæ legitimatis iura adepti sunt: & legitimos tantum: spurious seu vulgo quæsitos: naturales ex incestuoso & damnato coitu natos, & spirituales. De quibus omnibus ordine tractabimus.

Ordo primus,

De successione descendentium.

X I I I. *habet uniuscuiuslibet filium*

Parentibus itaque ab intestato decedentibus, ipsorum liberi pro virilibus portionibus iure divino, naturali & civili æqualiter succedunt.

D. Paulus ad Galatas 4. cap. inquit, Si filius, ergo heres, l. Cum ratio. ff. de bon. damnat. l. scripo. ff. unde libert. l. maximum vitium. C. de liber. prater. & auth. in successione. C. de suis & leg. liberis. §. si quis igitur. & §. nullam. in autb. de hered. ab intestato venientibus.

X I V.

Producitur hæc assertio, ut locum sibi non tantum vendicet in liberis in patris sacris adhuc extantibus, verum etiam emancipatis, nec refert sive masculi, sive foeminae sint. Nam pari hodie iure uterque sexus, quoad bona tamen allodialia, secus quoad feudalia, succedit. Regulariter enim foeminae ad feuda non admittuntur.

Ratio est, quia exequata est hodie suorum & emancipatorum conditio. §. nullam. in autb. de hered. ab intestato. & auth. in successione. C. de suis & legitim. liberis. §. hoc autem. in consuetud. feud. tit. de his qui feuda dare possunt. Ratio prima est, quia heredum appellatione foemina non continetur, nisi expressa ipsarum mentio fiat. Ratio posterior est,

DISPUTATIO IVRIDICA

ut bona et alia penes eos remaneant, qui res publica in necessaria-
ribus operam suam praestare strenuum, eamque sublevare
possunt. *Gomez. tom. 1. cap. 1. n. 3. Molina d. disp. 62.*

X V.

**Filium quoque posthumum nonnulli licet à suc-
cessione intestati arceant: nos tamen eorum magis ap-
probamus sententiam, qui omnia ei iura ac privilegia
reservari, quæ competenterent, si vivo patre in lucem edi-
tus foret, asserunt: modo tamen natus sit vivus, & par-
tus secundum tempus matrimonij legitimus.**

*l. 1. & toto tis. ff. de liberis & posthumis. & ibi Dd. Gome-
zius tract. de success: ab intestato. n. 7. l. Titius ff. de suis &
legitimis heredibus.*

X V I.

**Quod dictum est, liberos sine omni sexu disparita-
te ad successionem ab intestato admitti, procedit non
solum in primi, verum etiam in ulterioris gradus libe-
ris, uti sunt nepotes, neptes, pronepotes, proneptes,
et alterique descendentes.**

*l. Quid si nepotes. 6. ff. de testam. tutela. Dd. in l. liberorum.
ff. de V. S. Marchesianus in tract. de success: ab intest. art. r.
memb. 2. n. 8. Schneid. lib. 3. inst. tit. de hered. qua ab intest.
rub. de successione filior. natur. & legitimorum simul. n. 16.*

X V I I.

**Advertendum tamen, quod si in successione ab in-
testato cum descendantibus primi gradus concurrunt
alterius gradus liberi, in ordinem sui patris in stirpes,
non autem in capita succedant, hoc est, eam solum ac-
cipiunt partē, quam pater eorū, si vixisset, acceptasset.**

*S. Cum filius. inst. h. t. §. Si quis igitur. in auth. in successio-
nem. C. de suis & legit. liberis. Minsing. h. s. n. 1. & 9. Gome-
zom. 1. cap. 1. n. 2.*

Liberi

X V I I.

Liberi per subsequens matrimonium legitimati, & quale (tollit enim legitimatio omnem maculam genituræ, ponitque loco legitimorum ab ipsa origine) cum liberis legitimis & naturalibus simul, si extent, vel postea nascituris, per omnia succedendi ius habent.

*Per tex. in §. si quis igitur in auth. quib. mod. natural. effec.
sui. & in cap. tanta. ext. qui filii sint legitimi. Gail lib. 2.
obs. 140. n. 2. & 3. Covar. de marr. l. 2. cap. 8. §. 2. n. 1. cum
aliquot sequentibus.*

X I X.

Quod adeo verum est, ut eo modo legitimati ex statuto fœminas excludant, ut si verbigratia statutum sit, ne extantibus masculis, fœminæ in aliquibus bonis, maxime solo hærentibus, succedant.

Idem Gail lib. 2. observat. 140. & 141.

X X.

Ad liberos rescripto Principis, vel ab eo licentiam habentis, uti sunt Comites Palatini, legitimos factos, quod attinet, eam in sententiam inclinatum est, quod scilicet liberi prædicti parentibus suis succedant eo casu tantum, quo non extant naturales & legitimi simul, illis autem extantibus, ab hereditate paterna planè repellantur.

*§. Illud tamen in auth. quibus modis naturales efficiantur
sui. Schneiden dicto loco. num. 9. q. ad. fact. 1. sent. 1.*

X X I.

Quod tamen procedit in casibus in iure expressis & definitis. Multi enim casus, quibus hoc modo legitimati non succedunt, reperiuntur, etiamsi non extent naturales & legitimi simul, veluti in feudis & emphisi-
cusi

teusi Ecclesiastica cernere est, nisi hoc expressè in legitimationis rescripto dictum cautumque sit.

Ita Gail.li.2.obs.140.n.8.cum aliquot sequentib. & obs.142.

X III I.

Quæritur autem, an Imperator in præjudicium aliqui*s*us tertij legitimare aliquē queat? Ratio dubitandi esse potest, quod is dominus totius mundi dicatur. Verum cum naturalis ratio æquum iudicet, neminem cum alterius damno locupletari debere, nec sine causa res suas auferendas cuiquam esse, quid æquius est, quam hanc rationem naturalem sequi? quid iniquius, quam tyrannidem exercere? Concludimus itaque, licet dominus totius sit mundi, absolutam tamen potestatem exercere non potest, nisi legitima suadente causa & ratione.

Text. est in cap. facias homo. 22. q. 2. Ratio est, nam qualendent pietatem, existimationem & verecundiam nostram, & que contra bonos mores sunt. nec facere nos posse credendum est. & tex. est in l. filius qui ff. de condit. instit. Ratio 2. est, quia legitimatio naturalium extantibus naturalibus & legitimis simul odiosa & à iure improbata est, que non solet fieri, nisi deficientibus naturalibus & legitimis simul. & tex. est in §. si quis autem, oportet. in auth. quibus modis naturales efficiantur sui.

X X I V.

Quæritur item, an per hanc legitimationem legitimati, verè legiti reddantur: adeo ut in nulla re à legitimis & naturalibus simul, superentur, ac in omnibus pro iustis liberis habeantur: nobis negantium placet opinio: maximè inspecto iure communi, quamvis de iure speciali, beneficio nimirum Principis, negandum non sit,

non sit, maximè si in amplissima forma legitimatio fā-
ciasit.

Gail.lib.2.obs.140.n.18. & 20.

X X V.

Filius autem per oblationem curiæ legitimatus, hæ-
res ab intestato, & ex ultima voluntate successor existit,
in nullo dissimilis legitimis, potest etiam ex patris do-
natione capere: ita tamen, ut ne quid amplius habeat,
quam verè legitimus.

§. Et quoniam varie in auth. quib. modis natural. effic. sūt.

Forsterus fol. 241. vers. 1: Schneid. dicto loco. n. 9.

X X V I.

Succedunt tamen tales legitimati ipsi genitori tan-
tum. reliquis autem minimè: in quo differunt à reli-
quis naturalibus & legitimis simil.

§. Filium verò per huiusmodi causam. in auth. Quib. modis
naturales efficiantur sui.

X X V I I.

Disputandum nunc de legitimis tantum. Dicuntur
autem ij, qui secundum naturā non sunt filij adoptan-
tis. Adoptio enim ius sanguinis conferre non potest:
cum illud iure civili nec dari, nec adimi possit, sed se-
cundum legem duntaxat, ad naturæ imitationem.

Ratio est, quia adoptio iure civili ad inventa est, unde &
cognatio legalis dicitur. l. 1. ff. de adopt. §. minorem. Inst. co-
dem. l. iura sanguinis. ff. de R. iuris.

X X V I I I.

Est & adoptivorum nomen generale, duásque in
species distribuitur: quorum alij adoptivi alij arrogati
dicuntur. verūm quia adoptivorum uniformis succe-
sio non est: idcirco de iis separatim est agendum.

C Filij

XXI X.

Filij itaque familias à patre naturali & legitimo extraneæ personæ in adoptionē dati, licet in adoptatis potestatem non transeant, ab intestato tamen ei succedunt, non verò ulterioribus, sicuti filij naturales & legitimi simul.

S. Sed hodie. Inst. de adopt. §. sed ea omnia. inst. de heredi que ab intestato. l. cum in adopti vis. C. de adoptionibus Schneid. dicto loco. rub. de successione filiorum adoptivorum seu legitimorum tantum. n. 2. & 9.

XX X.

Quod tum demum verum est, si pater adoptivus ante emancipationem moriatur, et si pater adoptivus filios habeat naturales & legitimos simul, ante vel post adoptionem natos, exclusis etiam parentibus & ascendentibus ipsius adoptantis: illi nihilominus patri suo naturali succedunt, ita ut patri naturali omnia iura integra remaneant, ut nunquam in adoptionem dati existimentur, ideoque in bonis per adoptionem acquisitis filio, pater naturalis usum fructum habet.

l. Site. C. de suis & legitimis. l. 2. §. liberi. ff. ad S. C. Tertull. & l. penult. §. sed ne art. C. de adopt. Ratio est, quia filii adoptivi succedunt, ut sui heredes, sed sui heredes praeferuntur ascendentibus. §. Intestatorum. Inst. h. t. d. l. penul. §. l. C. de adoptionibus.

XX XI.

Prædicta autem intelligenda sunt, ut tum locum habeant, quando filij in adoptione permanserint, dissolutis enim adoptionis iuribus, nullus eis patet regressus ad adoptivum patrem extraneum, si moriatur intestatus, estque ac si in adoptionem dati non fuissent.

l. Cum

L. Cum in adoptivis. 10. §. fin. C. de adoptione. Ratio est. nihil enim tam naturale est, quam unumquodque eodem genere dissolvere, quo colligatum est. l. Nihil tam naturale. 35. ff. de reg. iur. l. prout quidque ff. de solutionibus.

XX X I I.

Sed adoptatus ab ascendentे tam paterno, quam materno, veluti avo, proavo, in adoptivi potestate in transit plenissimam, iuraque omnia filiorum naturallium & legitimorum simul consequitur, patrique adoptivo tam ab intestato, quam ex testamento succedit: præteritus ergo, vel sine causa ex hæredatus querela in officiis testamenti illud impugnare & evertere potest.

§. Sed hodie. Inst. de adopt. l. cum in adoptivis. 10. §. si verò pater. in med. prin. C. de adoptionib. l. i. l. nō putavit. 8.

§. si emancipatum. 7. ff. de bonor. possess. contra tabulas.

§. adoptivi. Inst. de exhæred. liberorum. §. i. inst. quibus modis testamentia infirmentur.

XX X I I I.

Supereft ut altera adoptivorum, qui arrogati dicuntur, examinetur species: qui sunt, quando filius famil. qui orbus est parentibus, patriaque solitus potestate, suique iuris, se arrogandum alteri dedit, & is arrogatori tam ab intestato, quam ex testamento succedit, si videlicet in arrogatione ad diem usque mortis permanescit.

§. i. Inst. de adopt. l. penul. §. fin. C. de adopt. Schneiden. d. loco. n. 14. & 15.

XX X I V.

Si verò arrogans in testamento fuerit præteritus, vel ex hæredatus absque iusta causa, propria omnia bona, quæ in arrogantem transluit, eorumque commo-

dum, & quartam præterea bonorum partem arrogatoris consequitur, non quidem per querelam inofficiosi testamenti, sed per condictionem ex l. Divi Pij.

l. Papinianus. 8. §. si quis impubes. 15. ff. de adoptionibus.

§. item non aliter. Inst. de adoptionibus.

X X X V.

Nunc de naturalibus tantum: sed priusquam ultrius progrediamur, scire convenit, naturales tantum generatim vocari eos, qui extra thorum legitimum natii sunt: quod genus adhuc duas sub se species habet, scilicet spurios seu vulgo quæsitos filios, natos ex coitu damnato.

X X X V I.

Liberi itaque naturales tantum, patri, legitimos & naturales simul habent liberos, uxorēmque legitimā, non succedunt: quamvis testamento pater unciam, hoc est, duodecimam bonorum partem iis relinquere possit: sin plus eis relictum fuerit, totum legitimorum efficitur.

cap. Discretis. §. si verò effus. concup. & §. ne igitur semper. in auth. quib. modis natur. l. matre. & auth. nunc soli C. de naturalibus liberis. cap. consideremus. s. in auth. de triente & semisse. Schneid. dicto loco rub. de successione liberorum naturalium. tantum. n. 7. Covar. de matrimonio P. 2. §. 4. n. 16. & 17.

X X X VII.

Verūm si proles legitima desit, nec coniunx legitima supersit, tunc naturales ex concubina, in duas paternæ substancialiæ uncias succendent, quod tamen ad nepotes, & pronepotes non extendit.

d. cap. discretis. §. si quis autem defunctus. l. fin. C. de natural. liberis. Schneid. d. loco. n. 9.

XXXVII.

Hactenus autem quæ dicta sunt de successione naturalium tantum in bona paterna, in bonis maternis locum non habent: Liberi enim naturales tantum, ex matre liberæ conditionis procreati, unà cum liberis legitimis ad materna (feudis exceptis) bona admittuntur, ita ut neglecti vel præteriti querela in officio evertere possint testamentum.

l. Si qua illustris. in fi. C. ad S. C. Orficianum. l. hac parte. 2. ff. unde cognati. §. vulgò quæsiti. Inst. de success. cognatorū. §. novissimè. Inst. ad S. C. Orficianum. cap. de feudo. §. naturales. Tit. si de feudo defuncti controversia fuerit inter dominum. l. si suspecta. §. de inofficio. ff. de inofficio.

XXXIX.

Ad spurios quod attinet, eos propriè dicimus, qui vulgò concepti sunt, & patrem demonstrare non possunt: vel possunt quidem, sed non honestè: item iij, qui ex soluto cum soluta suscipiuntur: denique qui ex eo complexu nati sunt, quem lex non punit, nec vindicat,
l. vulgò concepti. 23. ff. de statu homin. Forst. fol. 245. vers. proprio tamen.

XL.

Filius ergo spurius natus ex complexu, cui poena à iure civili statuta non est, patri intestato non succedit, multo minus ascendentibus vel coniunctis per lineam paternam, cum jurisdictione sine patre esse dicatur.

l. Hac parte. & l. si spurius. ff. unde cognati. Ratio est. quia consanguinitatis & agnationis iura à patre, non matre oriuntur. §. vulgò quæsitos. Inst. de Success. cognitorum. Covar. de Matrimonio P. 2. §. s. n. s.

XLI.

Nec statuto quidem filium spuriū capacem fore

donationis, testamenti, alteriusve paternæ hereditatis, induci potest: quamquam matri, ceterisque ulterioris gradus per lineam maternam succedere posse non dubitemus: quod tamen restringitur in matre legitimos filios habente.

Auth. ex complexu. C. de Incest. nuptiis. l. si qua illusris.

C. ad S. C. Orficianum. l. i. C. de natur. liberis. Corvar. d. loco.

Schneid. d. loco. rubr. de success. spuriorum. n. 4.

X L I I.

Hucusque de ciis liberis, qui vel ex justis nuptiis, vel ex concubinatu, vel alio complexu, cui iure civili poena statuta non est, suscepti sunt. Examinanda nunc venit successio eorum liberorum, qui ex eo complexu nati sunt, qui gravissimis coercetur à legibus poenis: quales sunt, sacrilegi, incestuosi, adulterini.

X L I I I.

Similes itaque liberi neque patri, neque matri, neque ascendentibus tam ex paterna linea, quam materna, successores fiunt. & è contraneo parentes ad similiūm liberorum successionem vocantur.

l. Si quis incesti. & auth. ex complexu. C. de incest. & inutil. nupt. cap. ult. in auth. quibus modis naturales.

X L I V.

Alimenta autem huiusmodi liberis iure canonico, cui hac in parte standum, non autem iure civili, deberi astruimus.

cap. Cum haberet. ext. de eo qui dux. in matrem: quam pol. luit per adulterium. toto rit. C. de alienis liberis. auth. ex complexu. C. de Incest. & inutil. nupt. Corvar. de matr. P. 2.

§. 6 n. 1. & 9.

X L V.

Inter parentes & spirituales liberos, quos ex sacro Bapti-

Baptismatis fonte levarunt, nulla est successio, cum haec cognatio in spiritu consistat, ideoque ad temporalia non extendenda commiserationis tamen causa his liberis egenis alimenta a patribus spiritualibus subministranda esse tuebimur.

Interpretes in cap. Transmissa. ect. qui filij sunt legitimi. cap. Ita diligere. 30 q. 1. Dd. Bald. in auth. mss. rogasti. Col. penult. C. ad S. C. Trebellianicum. Schneid. d. loco, rubr. de successione parent. spiritualium. n. 3.

X L V I.

Ethæc quidem de successione descendenterum. Ordinis ratio postulat, ut de ascenderibus, qua ratione illi ad descendenterum hereditatem iure vocentur, parumper disputemus.

Ordo secundus,

De successione ascenderum.

X L V I I.

Licet multa circa successionem ascenderum veteris iuris proferri possent: tamen quia iura illa omnia fermè antiquata sunt, ideo ad ea quæ hodie probantur, accedendum est. Monendum autem prius, quod sicuti in multiplici sunt differentia liberi, eodem planè modo (correlativorum enim eadem est ratio) tot parentum sint species: licet in nonnullis aliquid discriminis esse, negandum non sit.

*I. fin. C. de indicita viduitate tollenda. I. fin. C. de acceptilasci
I. I. C. de cupress. lib. II.*

X L V I I I.

Filio, filiave sine liberis vita functis, si parentes soli pari gradu supervivant, neque defunctus fratres sororesque habeat, extra controversiam est, parentes æqualiter,

liter, salva gradus prærogativa, succedere nulla sexus patriæque potestatis habita ratione.

Auct. defuncto. C. ad S. C. Tertull. §. si igitur defunctus, vers. si autem plurimi. in auct. de hered. ab intestato. Co-var. tom. i. de success. ab intest. n. 2. Molina de iust. & iure. tom. i. disp. 163. & per ea quæ tradit Nobil. Clariss. consul-tissimusq; vir. dn. Frider. Martini, Praeceptor meus perpetuò honorandus, in explicatione Tit. de success. ab intestato. loco de Success. ascendentium.

X L I X.

Quod ampliatur procedere non modo in castrensi peculio, verùm etiam in bonis adventitiis per filium ab extraneo acquisitis, quæ omni iure sunt filij, in quorum successionem uterque est admittendus parens, & qualisque, sacris literis attestantibus, pietas debetur.

Schneid. d. loco, rubr. de success. ascendentium ab intest. n. 12.

L.

In ascendentium ordine locum non habet repre-sentatio: verùm is, qui propiore gradu defunctū attin-git, remotiorem excludit.

§. Si igitur defunctus descend. vers. si autem plur. in an-then. de hered. ab intestato venientibus.

L I.

Si verò in eodem gradu plures concurrant, inter eos & quis partibus hæreditas sic dividenda est, ut medietatē paterni, reliquam medietatē materni adipiscātur.

d. auct. defuncto. C. ad S. C. Tertullianum.

L II.

Quando verò defunctus reliquit fratres sororesve utrinque coniunctos, vulgo geschwistige von voller ges-
burt/unā cum utroque progenitore, habet eos succes-

sores

sores per capita, non autem per stirpes divisa hæreditate.

sex. est in cap. Si igitur defunct. descend. vers. si verò Novell. n. 18. & in auth. defuncto. C. ad S. C. Tertull. Forst. folio 280. casu 2. Concl. i. Covar. de success. ab intest. n. 6.

L III.

Sidenique cum fratribus & sororibus defuncti, vel cum patre & matre concurrunt avus & avia, alteriusque gradus parentes: dum non solum pater & mater, cum fratribus & sororibus, eorum, carumve liberis ad præ mortui filij hæreditatem, sed etiam ulterioris gradus parentes admittuntur.

ita probatur ex rub. Novell. ut fratrum filij pariter succedant. Baldus d. auth. defuncto. Schneid. d. loco. n. 29.

L IV.

Privilegium autem, quo fratres & sorores, eorumque liberi ad successionem fratris utrinque coniuncti, & sine liberis mortai, unà cum ascendentibus vocantur, ad nepotes & pronepotes extendi non debet.

Auth. post fratres. C. de legitim. hæredibus. Ratio est, in materia exorbitanti filiorum appellatione non continetur nepotes. §. fin. Inst. quite testament. tutores dari possint. Covar. dicto loco.

L V.

Sed de fratribus uterinis vel consanguineis quid dicendum? anne hi si cum parentibus concurrant, aliquid de hæreditate consanguinei vel uterini nanciscuntur? Et ab omnibus ascendentibus excludi indubitate iuris est.

§. Si igitur defunct. descend. in auth. de hæredit. que ab intest. d. auth. defuncto, Nicolaus de Vbaldis. p. 2. tract. de

D success.

Succes^s. ab intestato. num. 7. Cetera. dicto loco. num. 9.

L VI.

Hæc de successione parentum naturalium & legitimorum simul: nunc quomodo parentes naturales tantum ad filiorum hæreditatem vocentur videntur. Verum, quia in hac specie successionis, pars ratio non est patris & matris, quare adhibenda hæc sequens distinctio.

L VII.

Aut de successione patris, aut verò matris fit sermo: si de patris, tunc quemadmodum naturales succedunt patri in duabus unciis tantum: eadem ratione pater reliquique ascendentibus ad filiorum naturalium hæreditatem admittuntur.

§. in quibus. 13. & §. si quis autem. in auth. quibus modis naturales efficiantur sui. auth. licet. C. de naturalibus liberis. Schneid. d. loco. n. 40. & 43. Forster. fol. 108, vers. supra admonuimus.

L VIII.

Restringitur autem hoc membrum, ut locus ei non sit, quando filius naturalis, tantum reliquit descendentes naturales & legitimos simul, legitimamque uxorem. His enim extantibus, pater ei nō succedit: quamvis patri, necessitate urgente, alimenta suppeditandas sint.

§. Discretis. in auth. quib. mod. natur. effic. sui.

L IX.

Si verò de matre sermo sit, distinctione opus est. Aut enim mater sola superest, & tunc sola succedit: aut exeat cum matre pater etiam naturalis, & tunc pater succedit in duabus unciis, in reliquis mater: aut denique super-

supersunt cum patre & matre etiam fratres ex eodem concubitu nati, & hoc casu pater duas iterum uncias accipiet: in reliquis mater cum fratribus defuncti succedit.

l. 2. in princ. ff. ad S. C. Tertul. §. fin. Inst. de S. C. Tertul.

l. hac parte. 2. l. si spurius. ff. unde cognati. Salicetus in au-then. defuncto. in fine. C. ad S. C. Tercullianum.

L X.

De patre adoptante & arrogatore quid dicendum? adoptans igitur si est extraneus, in cuius scilicet potestatem non transit, filio adoptivo mortuo, non succedit. Pater verò arrogator regulariter filio arrogato sine liberis decedenti succedit.

§. Sed hodie. 2. Inst. de adopt. §. nunc autem. 2. vers. mor-tuo. Inst. de Acquisit. per arrogationem. l. penult. §. sed ne articulum adoptionis. C. de adoptionibus.

L X I.

Quod de patre arrogatore dicitur, verum est, si filius arrogatus pubes decebat, secus si impubes. Nam tunc alij cognati arrogatori præferuntur.

§. cum autem impubes. 3. Inst. de adoptionibus. Schneiden. dicto loco. num. 39.

L X II.

Nunc de parentibus spuriorum videndum: An videlicet ij filiis suis spuriis succedant? Quæ quæstio hac distinctione resolvitur: aut loquimur de ascendentibus ex linea paterna, & ij sicuti filij spurij à suorum parentum hæreditate arcentur: eadem ratione parentes ab eorūdē depellūtur: aut de ascēdentibus ex linea ma-terna & in iis vicissitudinariā successionē admittimus.

l. si spurius, 4. ff. unde cognati. §. fin. Inst. de S. C. Tertul.

& §. vulgo quasitios. 4. Institut. de success. cognatorum.

L X I I I.

Quæstionis etiam est, an filiis ex incestuoso comple-
xu natis parentes successores fiant? & concluditur, iis
non solum non parentes, verum etiam nec quem-
quam alium per lineam quamcunque succedere, com-
miserationis tamen causa hisce parentibus à liberis ali-
menta tempore necessitatis subministranda sunt.

Auth. ex complexu. C. de incest. nuptiis. §. fin. in authent.

*Quib. mod. natur. effic. sui. cap. cum haberet. extra de eo qui
duxit in matrimonium.*

L X I V.

Cessante tandem linea descendenter & ascenderis
successione: tertio loco ad successionem ab intestato
à lege collaterales secundum gradus prærogativam
vocantur.

Ordo tertius,

De successione collateralium.

L X V.

Et primò quidem sciendum, quod fratres sororesve
codem patre, matrēque progeniti, consimiliter fra-
trum sororūmve defunctorum filij, unā cum fratribus
& sororibus ad successionem defuncti patruelis, hære-
ditate int̄ stirpes divisa, admittantur.

*S. Si igitur defunctus neque 3. in auth. de heredit. que ab
intest. auth. cessante. C. de legit. hereditib. Schneid. d. loco.
rubr. de success. collateralium. n. 1. & 3. Covar. de success.
ab intestato. tom. 1. num. 9. cum aliquot sequentibus. Mo-
lina. tom. 1. disp. 104.*

L X V I.

Nec interest, sive sint paterna bona, sive aliunde acquisita, modò allodialia sint: secus foret si feudalia, quod procedit de feudo noviter acquisito, in hoc enim frater fratri non succedit.

Auth. Itaq. C. commun. de successionibus. & l. de emancipatis. C. delegit. hered. lib. 2. tit. 50. de natura success. feudi. & lib. 1. tit. de feudo Marchie.

L X V I I.

Verum et si dubium esse possit: an fratrum filij ad successionem patrui intestati, nullo superstite fratre defuncti, admittantur in stirpes, an in capita. Et in capita iuxta novissimas constit. Carolinas, succedere verius est.

Const. promulgata anno 24. Kaiserlich Constitution vnd satzung/wie brüder vnd Schwesternkinder. Covar. de succeß. ab intestato. n. 10.

L X V I I I.

Porro quia licet fratres sororesve ex uno latere tantum cum defuncto etiam in secundo gradu sint: tamen fratris utrinque coniuncti filij, ex uno tantum latere defuncto iunctos, hoc est, consanguineos vel uterinos à successione excludunt.

d. auth. cessante. & auth. itaque. §. si igitur defunctus neg. in auth. de heredit. que ab intestato. Forst. fol. 335. casu 2. conclus. 1. Molina. d. disp. 164.

L X I X.

Fratribus autem utrinque coniunctis non extantibus, neque eorum filiis utrinque coniunctis: vocantur ad successionem defuncti fratres ex uno latere tantum, qui æqualiter succedunt defuncto, quando sunt

omnes ex uno eodemque latere connexi.

*cap. si rigitur defunctus neque. §. his autem non extrantibus.
in auth. de hered. ab intestato. & auth. post fratres. C. de
legit. heredibus. Molina d. disp. conclus. 4.*

L X X .

Dubitatur, quomodo fratres, qui ex uno tantum latere superstites sunt, sive sint consanguinei, sive uterini, sibi invicem succedant? In bonis igitur à patre vel eius linea acquisitis, solos consanguineos, in bonis ventò maternis ciùsque linea proventis, solos uterinos sibi invicem succedere: in bonis extrinsecus acquisitis, æqualiter ad successionem admittendos esse asserimus.

*Gl. in auth. post fratres. C. de legit. heredib. & auth. itaq.
C. commun. de successionibus. & per text. in l. de emanci-
patis. 13. vers. exceptis. C. de legit. heredibus. Covar. de suc-
cess. ab intest. n. 13. Molina d. loco. concl. 6.*

L X X I .

Post fratres denique, fratrūmve filios ad decimum usque gradum, qui gradu sunt proximiōres, succedere palam est: ita ut pares in gradu, pariter admittantur, nulliusque representationis, agnationis, & cognationis ratio habeatur, siatque inter eos in capita, non in stirpes, divisio.

*auth. post fratres. C. de legit. hered. §. nullam verò. in au-
then. de hered. ab intestato. Nicolaus de Vbaldis, in tractat.
de success. P. 3. num. 12.*

L X X I I .

Dicta autem hactenus non solum procedunt de naturalibus & legitimis simul: verum etiam de naturalibus per subsequens matrimonium legitimatis, & de corum

corum liberis. Nā & hi quoque admittuntur cum legitimè natis: non autem de fratribus rescripto principis, vel oblatione curia legitimatis.

§. *Filiū. 4. in auth. Quibus mod. natur. effic. sui. Forster. fol. 343. verf. Ratio huius rei.*

LXXXIII.

Quod ad adoptivos attinet sciendū, eos invicem sibi hæredes non fieri, nisi adoptati sint ab ascendentē, & post adoptionem emancipati non sint.

I. penult. §. sed ne articulum. C. de adoptionib. Schneiden. d. loco. rubr. de success. collateralium. n. 41.

LXXXIV.

Naturales autem, seu vulgò quæsiti per lineam paternam coniuncti, in nihilo quidem sibi invicem succedunt: ex ea verò parte qua proximitatis nomine, quæ à matre proficiscitur, cognati vocantur, succedendi sibi invicem iure gaudent.

§. *Vulgò quæsiti. Inst. de success. cognator. I. fin. C. de natur. liberis. I. hac parte. 2. & I. si spurius. ff. unde cognati. Covar. de matrim. P. 2. cap. 8. §. 5. n. 26.*

LXXXV.

Exconceptu demum nefario, incestu, damnatōve complexu fratres, omni successionis beneficio, quia iure incogniti censemur, indigni iudicantur.

Auth. ex complexu. C. de incest. nuptiis. & §. fin. in auth. Quibus mod. natur. effic. sui. Covar. d. loco,

Ordo quartus,

De successione inter virum & uxorem.

LXXVI.

Quantum nunc ad succedendi ordinem inter virum & uxorem attinet, conclusio est: quod casu, quo omnis parentum, liberorum, seu propinquorum deficit successio usque ad decimum gradum, tunc maritus & uxor invicem sibi in solidum succedunt.

*I. unica. ff. unde vir & uxor. & I. unica. C. eodem titulo.
Molina de iust. & iure. tom. 1. disp. 164. concl. 10.*

LXXVII.

Quæ quidem conclusio tunc locum habet, si matrimonium secundum leges & canones contractum sit per verba de præsenti: secus si de futuro: & si coniuges in matrimonio usque ad obitum perseverarunt.

dicta lege, unica. ff. unde vir & uxor. I. qui contra. C. de Incessis nuptiis.

LXXVIII.

Iure autem authentico, si matrimonium sit sine dote, coniunx verò defunctus sit dives, superstes autem in opia labore, quartam hæreditatis accipiet partem uxor, una cum reliquis liberis utriusq; matrimonij, si tres sint vel pauciores: quod si plures sint: in viriles portiones pro numero personarum sicut divisio.

Auth. præterea. C. unde vir & uxor. & in §. quoniam vero. in auth. de exhiben. & introducend. reis. Molina dicto loco.

LXXIX.

Dicta tamen hæc tenus de viri & uxoris successione tum demum procedunt: si vel pactis dotalibus, quæ de consue-

consuetudine hodie obtinent : vel statutis locorum, ubi matrimonium contractum fuit, quæ iuri derogant communis, aliud cautum conveniuntur non sit.

I. De quibus. 32. ff. de legibus. Andreas Gail. lib. 2. obs. 126.

LXXX.

Et hæc quidem de personis non illustribus procedunt: verum dubitatur, utrum statuta vel pacta gentilitia de mutua successione in casu deficientium liberorum masculorum inter Principes, Comites, Barones, & Nobiles Germaniæ locum habeant? Et habere, cum omnis sinistra captandæ mortis suspicio cessa^t, favorabiliaque sint, tueri cum Andrea Gail conabimur,

dicto lib. 2. obs. 127. n. 1. & 2.

Ordo quintus,

De successione fisci.

LXXXI.

Circa ultimam, videlicet Fisci successionem, statuitur hæc conclusio, quod defuncto ab intestato, non extantibus legitimis heredibus, descendantibus scilicet, ascendentibus, & collateralibus, vel etiam coniuge, fiscus succeedat.

per tex. int. 1. & l. vacante, C. de Bonis vacantib. Molina d. disp. concl. 11.

LXXXII.

Et ampliatur thesis ista, etiam si defunctus reliquisset sanguine sibi iunctos: sed ad succedendum minimè idoneos, veluti natos ex incestuoso, nefario, & damnato complexu, vel etiam reos læsa maiestatis, perduelionis, vel denique hereseos. Nam omnes hos fiscus excludes.

*I. quisquis. §. Fily. C. ad l. Iuliam maiestatis. cap. ver gen-
tis. ext. de hereticis. §. interdum. hoc sit. nostro. Minsing.
hic. n. 4. Schneid. d. loco. Rub. de success. fisci. n. 14.*

P A R E R G A.

I.

Votum solenne, quo ad continentia servandam se quis Deo obligavit, voventem ad matrimonium ita inhabilem reddit, ut ei non tantum velle contrahere damnable sit: sed et si contrahat, graviori sacrilegio se se reum constitutat, quam si cum concubina fornicitur. Verum hanc vim solenni voto non divino, sed saltem humano iure seu lege Ecclesiastica tributam esse, & ideo Summum Pontificem cum voente, ut matrimonium contrahat, recte dispensare posse tuebimur.

I I.

Potestas collectandi, licet originaliter inter regalia & reservata summo Principi seu Imperatori in signum superioritatis referatur, sicque eidem solum competere videatur: attamen hodie tam Ecclesiasticos, quam seculares Duces, Principes, Marchiones, & Comites Romani Imperij de ducatu, principatu, marchionatu, vel comitatu suo ab Imperatore plenissime investitos, ex publica causa hanc potestatem suis subditis impoñendi collectas provinciales & imperiales, habere astrauiimus.

I I I.

Principes speciali aliqua lege ex certis causis iustificationem prohibere, & transgressores legis, quandoque etiam corporaliter recte punire possunt: venantes autem contra prohibitionem, si quas feras bestias

stias coeperint, eas suas faciunt, nec in foro conscientiae ad restitutionem obligati sunt.

I V.

Verum Principes, & alij ius venandi habentes, sua prohibitione magnum ferarum numerum foventes, si non cum divite Epulone perire volunt, omne damnū in prædiis, ac aliis subditorum rebus, velex multitudine enutritorum animalium, vel à canibus, vel ab equis, vel à famulis ad yenationem ductis, datum, restituere tenentur.

V.

Quin imò ad subditorum de damno ex nimia ferarum copia vel illato, vel inferendo, querelam apud superiorem delatam, si vasallus admonitione domini facta, neque numerum minuat, neque damnum à feris datum plenè resarciat, neque de damno caveat, feudo privari potest.

V I.

Quæstionis autem est: quid si vasallus in scio directo domino vel in totum, vel pro parte feudum alienaverit: & ipse, eiusque successores investituris, quasi illud adhuc integrū possideret, agnivissent, debitāque servitia præstisset: An possessor huiusmodi rei feudalnis, eam tamen iusto errore existimans esse allodiale, ita præscribat, ut ab eo avocari non possit? Nos præscriptionem legitimo modo completam vasallo eiusque successoribus, quoad utile dominium ita, ut ipsi agnati à iure revocandi feudum excludantur, non autem directo domino feudum vendicare volenti obstatæ defendemus.

V I I.

Quamvis laici, cum iuris percipiendi decimas veluti

spiritualis, planè sint incapaces, nullo unquam tempore iuri decimarum præscribant: attamen ipsi exemptionem ab obligatione præstandi decimas, vel de omnibus suis, vel saltem quibusdam in certo districtu sitis prædiis, privilegio vel consuetudine, vel temporis præscriptione comparare, vel mutationem quotæ, ita ut pro decima parte fructuum duntaxat undecima, vel vigesima, vel trigesima solvatur, inducere possunt.

V I I.

Decimæ cum iure divino in veteri, iure humano in novo testamento saltem Dei ministris in recompensam ac mercedem impensi in cultu divino laboris, & in sustentationem debeantur: idcirco Principes seculares neque iure regalium, vel omnimodæ iurisdictionis, neque vigore iuris foresti in suis territoriis novales decimas percipere, neque ius percipiendi decimas de novalibus præscriptione acquirere queunt.

I X.

Quod si quis rem alienam secundum humanæ legis præscriptionem usuceperit, licet is post impletam præscriptionem sciat rem illam alienam fuisse: ad eius tamen restitutionem etiam in foro conscientiæ non tenetur.

X.

Coronidis loco anceps se offert quæstio: utrum scilicet Milites seu Equites Ordinis Teutonici, feudorum etiam capaces, & pariter sicuti ipsorum agnati laici de iis investiendi sint? Cuius quæstionis affirmantem partem disputando tuebimur.



Nobili suo contubernali

PAVLO KRIPP

à Brunnberg & Aichaim

*Positiones has ex utriusque iuris fontibus
deductas defensuro lubens me-
rito applausit*

GEORGIVS THEODORICVS

à VVangen in Geroltzeck ad
VVafgoiam.

*Q*Valis furentes institor Adria
Transvectus iras, nec iuga carulo
Spumata ponto, nec minantem
Exitium metuit capellam,
Factare merces latior, edidit
Quas pumicosis fontibus Africa:
Quas misit Indus, e^g fugaces
Doctus Arab^s spoliare Nymphas.

E 3 Sic

Sic tu subacti turbinis immemor
 KRISSI, laborem suppressis artium
 Compensatione, quas sonantem,
 Ad Tresamum, docuere Musa.
 Musæ, et severis passibus ambulans
 Astræa, stipat quam soror Aequitas
 Gaudens librâsse Iura, lance
 Indocilit emerare leges.
 Circæa non te pocula, melleos
 Mentita succos, non modulamina
 Flexere Sirenum, nec aequor
 Dulichia exitia legenti;
 Nempe ut nivali Pinus in Algido
 Obstet procellis, nec timet Africo
 Deprpliantum Notorum,
 Perniciem nemorum, furores:
 Sic mens malignis cedere nescia
 Monsiris laborem: tendit in Aonas
 Secura montes, dum petitam
 Crine premi videat Corollam.